



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

LXV. Des Bischofs Ludwig von Brandenburg Verordnung über die Abgaben
des Pfarrers in Mordiz an das Lorenz-Kloster in Neustadt-Magdeburg, vom
10. November 1342.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

LXV. Des Bischofs Ludwig von Brandenburg Verordnung über die Abgaben des Pfarrers
in Mordiz an das Lorenz-Kloster in Neustadt-Magdeburg, vom 10. November 1342.

Nos Ludewicus*), dei gracia brandenburgensis ecclesie episcopus, Recognoscimus in hiis scriptis, Quod constituta coram nobis religiosa domina sophia, abbatisa sanctimonialium monasterii sancti laurencii noue ciuitatis magdeburg eiusdem magdeburgensis dyocesis, donacionem et incorporacionem ecclesie in mordiz, nostre brandenburgensis dyocesis, factam per eos, qui hoc de iure facere poterant et debebant. Sufficenter decuit et probauit, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Quas quidem donacionem et incorporacionem nos approbauimus ipsas gratas et ratas habentes ac presentibus approbamus decernentes, quod plebanus in mordiz, qui pro tempore fuerit, dictis Abbatisse et sanctimonialibus pensionem uel redditus quatuor marcarum argenti brandenburgensis annis singulis de ipsa ecclesia soluere teneatur; verum quia discretus vir dominus Johannes, quondam plebanus ibidem, nunc autem rector ecclesie in luckenwalde prefatis, Abbatisse et sanctimonialibus pensionem huiusmodi iam multo tempore non persoluit, licet tempore per eandem vexatus fuerit pluribus laboribus et expensis; Nos tamen futuris sumptibus et laboribus et amplioribus cauere volentes de consensu parcium compositionem amicabilem inter ipsas ordinauimus in hunc modum Ita uidelicet, quod dictus dominus iohannes, pro pensione non soluta sponte et voluntarie arbitratus est soluere predictis Abbatisse et sanctimonialibus sex marcas argenti brandenburgensis in terminis infra scriptis uidelicet isto anno vnam marcam cum dimidia in festo pasce venturo proxime et vnam marcam cum dimidia in festo beati michaelis immediate sequenti ac in anno sequenti similiter vnam marcam cum dimidia in quolibet termino memorato, preterea dominus hermannus, nunc plebanus in mordiz arbitratus est soluere vice et loco pensionis istius anni duas marcas argenti brandenburgensis vnam uidelicet in proximo festo pasce et vnam in festo beati michaelis immediate sequenti Abbatisse et sanctimonialibus supradictis, Sed et in sequenti anno ac deinceps idem dominus hermannus ac successor eius, qui pro tempore fuerit, plenam pensionem predictis abbatisse et sanctimonialibus annis singulis ministrabit uel ipsarum se gracia reformabit. In quorum omnium testimonium euidentis et sufficiens sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Testes huius facti sunt frater arnoldus et frater ludolphus, ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini in magdeburg, et magister Engelbertus, nostri cappellani, ac quam plures alii fide digni. Actum et datum Anno domini M^o CCC^o XLII^o, in vigilia beati martini confessoris et pontificis In castro nostro Seyezere.

Copiarium des Lorenz-Klosters in Neustadt-Magdeburg f. 67 im Königl. Prov.-Archive zu Magdeburg.

*) Im Copiarium steht fälschlich Ludolfus.